

Q.K. 352,66

II f
1108

DE
CONNVBIO AEQUALIVM PERFECTISSIMO
OMNIVM
IN
N V P T I I S
VOIGTLAENDERO-
OTTONIANIS

FAVSTO OMINE
D. XVIII. OCTOBRIS MDCCLVIII.
LOMMATSCHII

CELEBRATIS
FAVSTA QVAEVIS APPRECANS
PAVCIS AGEBAT
SPONSAE PATRVELIS
JOANNES CAROLVS GODOFREDVS OTTO
L. L. Stud.

D R E S D A E

OPERA PRAELO JOANNIS GVILIELMI HARPETERI.

92



Cic: de Amicit: Cap: 23.

*Natura solitarium nil amat, semperque ad aliquid, tanquam
adminiculum adnititur.*



Q. D. B. V.



Pares cum paribus facillime congregari, veteres in proverbio dicere solebant, nec hoc quidem injuste. Quæ enim Societas magis laude digna est, quam eorum hominum, moribus virtutibusque parium. Nunquam tales inter homines ne minima quidem dissensio reperiri potest, sed perpetua consensus animis eorum inest. Qualis enim consensus, qualis amor, felicitasque tales inter homines reperiri potest, quorum alter voluptatis, alter vero virtutis amans? nulla. Certe scio, molestissimam difficillimamque vitam, plenam querelis, inter se gesturos esse eos, & quisque inæqualitatem talis societatis facillime perspecturus est. In quam felici statu itaque nos homines essemus, si omnes, memores veterum proverbii, pares cum paribus se congregarent, omnis dissensionis, omnis querelæ, rixæque expertes, perpetua fructuri essemus quiete. Quam multæ vero conjunctiones inæquales adhuc fiant, quotidiana nos docet experientia, multorumque exempla hominum, continuis dissensionibus vitam suam consumentium. Et maxime quidem, quod valde dolendum est, apud conjuges illæ reperiuntur. Quod si quæramus, qua ex re hic dissensus inter illos oriatur? nullam aliam causam reperire poterimus, quam inæquale connubium.

Et omni jure tales conjuges infelicissimi hominum mihi esse videntur, quia tam legibus Dei sapientissimi repugnant, expressis mandantis verbis scriptura in sacra, ut perpetua concordia utantur; quam quia sibi ipsi hanc vitam per se jam valde molestam, multo magis intolerabiliorem reddunt. Quis enim maximus Dei finis fuit, cur matrimonium, tanquam maximum humani generis beneficium, instituerit? certe nullus alius, quam ut hominibus hanc vitam, post lapsum illum tristissimum plenam molestiis, longe tolerabiliorem redderet. Et quomodo illud melius fieri posset, quam connubio, quia nempe hoc conjuges obstringuntur, voluptates molestiasque secundam atque adversam fortunam hujus vitæ inter se communes habere, ac communiter perferre. Mirum itaque non est, si hodierno die, quo *consobrina mea dilectissima*, socialis fœdus felicissimum in itori, cum PLVRIMVM REVERENDO DOCTISSIMO AC OMNIBVS ET ANIMI ET CORPORIS VIRTVTIBVS ORNATISSIMO VIRO, maximo afficio gaudio, quia hoc connubium, propter æqualitatem omni jure perfectissimum vocandum, fausta quævis omnemque felicitatem VOBIS connubio conjunctis, promittit. O! ter quaterque felix dies, duplici gaudio me implens, cujus altera pars est occasio longe jam a me optata, quam mihi hic gaudiis voluptatibusque impletus dies offert, quo nempe animum meum gratum, amorem, pietatemque MAXIME REVERENDO, DOCTISSIMO AC DILECTISSIMO MEO PATRVO, totique familiæ mihi consanguinitatis jure conjunctissimæ suæ declarare possim, altera vero est, quod hodiernus dies TECVM O! SPONSE PLVRIMVM REVERENDE ATQVE DOCTISSIME, VIRO LONGE MERITISSIMO DOCTISSIMOQVE necessitudine affinitateque me conjungit, id quod semper maximo mihi ducam honori. Quare alia vero lætitiâ meam observantiamque magis exprimere possem, quam carmen nuptiale canendo, id quod & officia juraque postulant necessitudinis. Accipias itaque velim O! SPONSE DILECTISSIME, hoc opusculum exiguum tanquam verum

rum

rum amoris Symbolum, atque, etsi defunt vires, tamen laudes voluntatem. Vnica adhuc gaudii restat causa, quam silentio præterire pene non possum. Nempe sponsam Tuam dilectissimam semper omni anforti adversariam, & solitariae vitæ se devovere simulantem, quin & promittentem, sagittis callidi illius pueri vulneratam video, ita ut illi nunc omni jure cum Ovidio canendum sit.

En ego confiteor: tua sum nova præda Cupido

Porrigimus victas, ad tua vincla manus.

Ast satis joci, multoque magis ad rem ipsum scopumque nostrum revertamur, argumentumque, quod de connubio æqualium omnium perfectissimo, sumsi, paulo accuratius, pluribusque persequamur verbis. Unicum vero, quod maxime a TE peto, SPONSE DILECTISSIME, est, ut hoc exiguum opusculum serena accipias fronte.

Cum vero de connubio æqualium omnium perfectissimo agere, mihi proposui, maxime necesse esse mihi videtur perquirere, quid sit connubium. Evolvamus itaque veteres scriptores legisque latores, in quibus, etsi religionis Christianæ expertes fuerunt, tamen multas definitiones hujus vocabuli inveniri posse, credo. Primus horum scriptorum, qui mihi in mentem venit, est *Servius, grammaticus* quidam antiquus, qui in nota ad *Æneidos Virgilio versum 73. L. I.* quo Juno Aeolo, rectori ventorum, pulcherrimam nympham, ut Trojanos, tempestate excitata, persequatur, promittit, hisce verbis.

Connubio jungam stabili propriamque dicabo; scribit: Connubium esse jus legitimi matrimonii. Hoc versu variæ latent veritates, a nobis paulisper discutiendæ. *Legitimum* apud veteres est id, quod legibus consentaneum est. Notum enim est, a paganis nil pene fuisse susceptum, nisi legibus suffragantibus, auspiciisque addicentibus. Hinc & eodem *Virgilio* teste *Lib. 4. v. 166. Æn.* Signa connubium *Æneæ & Didonis* præcedentia, tristem prædicebant exitum: Verba digna, quæ hic allegentur.

*Prima & tellus & pronuba Juno
Dant Signum: fulsere ignes & conscius aether
Connubiis: summoque ulularunt vertice Nymphæ.*

Quid vero per *stabile* voluerit Juno, idem declarat *Servius*, quia nempe stabile connubium continuam perpetuamque promittat concordiam, divortioque careat. Romanis enim a Romulo erat concessum, dimittere uxores, si levissimam modo proferre poterant causam. Attamen notatu dignum est Romanos ad quadringentesimum annum ab V. C. divortiis se abstinuissent, quamquam sequentibus temporibus, luxu ingravescente, frequentia admodum erant divortia, id quod Christianis lege divina institutis ob levissimas causas divortia postulantibus maximæ est ignominia dedecorique. Quod vero addit Juno, *propriamque dicabo*, non solum omnem adulterii suspicionem remouet, sed & plenariam potestatem, quin & obsequium nuptæ pollicetur. Sic apud antiquos Sacerdos nuntini dicatus, dicitur ad obsequium datus. Hæc descriptio connubii apprimè convenit cum illa Ulpiani, antiqui Romanorum legislatoris, a quo fragmenta quædam usque ad nostra perlata sunt tempora, de connubio dicentis: Connubium est uxoris jure du-cendæ facultas, vel est justa viri & mulieris conventio de individua vitæ societate, liberorum quærendorum causâ instituta. conf. Franc. Hotomanni de Rit. nupt. & matrim. c. I. Cum vero usque adhuc de connubio verba modo fecerimus, nunc etiam ad æqualitatem, tanquam maxime necessariam partem perfectissimi connubii animum nostrum vertamus, videamusque quid sit æqualitas, & qua in re consistat.

Æqualis nomen suum derivat ab æquare, & parem quantitatem denotat, & differt a simili, quod ad qualitatem refertur. Sic Cicero de amicitia tales homines, æqualitate inter se utentes, esse pares in amore & æquales dicit. Est vero æqualitas, quam Cic. in Lælio c. 5. ad amicitiam requirit, ea virtus, qua æquo jure cum omnibus vivimus, omnes nobis æquales putamus, nilque nobis præ-

præcipuum petimus, id quod Lact. de Institut. V. Cap. 14. §. 15. æquitatem non utique bene judicandi, sed se cum ceteris coæquandi, verba hæc Ciceronis citans, vocat. Ex his itaque disputatis cognoscimus, duplicem in connubiis æqualium dari æqualitatem, quarum altera est interna animorum, altera vero externa & ætatis, & dignitatis.

Primum itaque de æqualitate interna animorum verba faciemus, persecuturique sumus, quid sit animorum æqualitas, quaque in re consistat. Primum, ut mihi videtur, ad hanc æqualitatem perpetuus mutuusque amor requiritur. Negari enim non potest, animum nostrum sedem quasi esse omnium tam vitiorum quam virtutum, a quo corpus nostrum tanquam machina agitur, & ad omnes res, in animo nostro latentes, exercendas, usurpatur. Si itaque hominis pravus est animus, nil etiam quam pravæ actiones a corpore peraguntur. Quam stultum itaque est, si tales homines, connubio se conjungere in animo habentes, ad externos modo mores oculos suos dirigunt, & modo externa specie ac pulchra benefactaque corporis forma capiuntur, nec internorum morum, nec animi rationem habent, sed ab externo, quod ajunt, internas animi virtutes judicant, aut sæpissime nec de animo cogitant, nec curam ejus habent, uti quotidiana exempla hominum tam imprudentum nos docere possunt. Quæ causa enim, cur hoc tempore plurimi hominum, optimo animo præditi, a multis despiciantur, & e contrario alii pessimi & minime sinceri animi a multis iis præferantur magnique æstimentur? Nulla alia, quam quia corporis specie, externisque moribus, alios superant, ac antecellunt. Quid enim est aliud, si tam perversi homines pulchra corporis forma cujusdam ad amorem commoventur, quam si quis formosam ac bene factam imaginem amat aut statuam, oculosque suos ad illam dirigit. Imo tales homines multo prudentiores mihi esse videntur pulchritudine statuæ capti. Nil aliud enim habent in statua, quod amare aut considerare possunt, quam externam formam. Multi vero mihi
obje-

objecturi, diu multumque interrogaturi sunt, quomodo animus, in corpore nostro latens, cognosci aut perspicui possit? Paucis illis respondeo verbis, longam consuetudinem, omniumque rerum & actionum, ad animum præcipue pertinentium, animadversionem, solum esse remedium, ad hunc cognoscendum. Hac ratione majores nostri præcipue commovebantur, talibus hominibus, tori fœdus inituris, quandam ante connubium permittere consuetudinem, ut uterque animos moresque internos cognoscendi haberet occasionem. Bene enim perspiciebant majores statum infortunatum miseriamque vitam eorum hominum, quorum animi, non dicam omnibus, sed tamen plurimis in rebus non consentirent. Id quod multis tam horum quam antiquissimorum temporum probare possem exemplis, tam doctorum quam indoctorum, si multis exemplis opus esse censerem. Unicum exemplum, & quidem Socratis, philosophi antiqui, sufficere mihi videtur, ad argumentum meum eo magis efficiendum. Hic omnium pene Philosophorum pater fuisse videtur, & tamen non satis antea uxoris suæ animum Xanthippes tentaverat. Ipse Aulus Gellius aliique scriptores illam molestam, rixosam, ac sævam vocant mulierem, quam vero Socrates, magnus Philosophus, prudensque vir, quieto perferebat animo. Hinc etiam quisque facile perspecturus est, quam necessarium talibus sit hominibus, animos inter se tentare.

Cum vero usque adhuc de æqualitate interna, seu animorum mentionem fecerimus, nunc etiam animum nostrum ad externam æqualitatem, præcipue ad ætatem dignitatemque spectantem, applicemus, illamque æqualitatem paulo accuratius consideremus. Hanc vero permultum ad feliciter beateque vivendum conferre quisque facile largietur. Hinc Pamphilus patrem nimis parce sumtus facere querens addit, quem vocabo ad cœnam meorum æqualium, cum quibus læte tempus consumere possim. Et *Ovidius* in libro *Metamorphoseon* I. v. 750. Phaëthonte cum Epapho de principatu contendente expressis dicit verbis, Phaëthontem animis

mis & annis æqualem huic fuisse. Quin & Samsoni, quo nuptiarum lætitia eo perfectior esset, addebant triginta æquales, cum quibus lætaretur. Ad externam vero amorum æqualitatem præcipue leges Romanorum requirebant pubertatem. Quia enim summus connubii finis est tam mutuam adiutorium, quam propagatio sobolis, id quod divinæ & humanæ leges testantur, hinc ea connubia, quæ utroque fine carebant, dirimenda censebant. Et hac in re affirmare nullus dubito, illos multo prudentiores egisse, Christianis, sæpissime liberos suos connubio jungentibus, priusquam (ut ita loquar) ex ephebis adhuc excesserint. Hinc etiam omni tempore perspecturi sumus, connubia talium hominum, nondum ad pubertatem pervenientium, tam esse infelicia, quam illorum, tam animis quam dignitate imparium, quia nempe nondum hanc ætatem affecuti sunt, quæ tam familiæ prudenter præesse, quam fini matrimonii satisfacere possunt. Quid autem multis exemplis nobis opus est? Institutiones legesque imperatoris Justiniani, tanquam normam nostri juris hodierni ab omnibus populis in universa Germania assumptam evolvamus, expressis verbis docentes, ad justas nuptias requisitam esse utriusque sexus pubertatem. Confer. §. 1. *Inst. de nupt.* Uti vero illorum apud Romanos nondum ad pubertatem pervenientium secundum leges suas nuptiæ erant prohibiti, sic etiam his, ex lege Papia Poppæa connubium iniire non erat permittum, ætate jam provecctis. Hinc prohibebant matrimonia sexagenariorum masculorum, & quinquagenariorum feminarum, quia nempe fini connubii satisfacere non valebant, quæ lex vero postea abrogata est, uti ex *L. 27. C. De nupt.* constat.

Quantam vero ad ætatis æqualitatem, tantam etiam dignitatis adhibebant curam Romani. Præcipue enim apud illos requirebatur, ut uterque sit liber civisque Romanus, quod inter alias ex *Heineccii historia juris Romani*, legibusque eorum

fatis est perspiciendum. Imo cura Romanorum connubia, perpetuamque inter conjuges parandi quietem usque eo se extendebat, ut secundum XII. tabulas caveretur, ne patriciis cum plebejis Romæ esset connubium, dum nempe perpetua dissensio, (uti unicuique historia in Romana paulo versato notum erit) implacabileque odium alebatur. Hinc etiam teste *Dionysio X.* ab Appio Claudio decemviro hæc lex adjiciebatur, ut in perpetuum patres a plebe divellerentur. Quæ vero lex quinto post anno contraria lege fuit abrogata, uti ex *Livio IV. Cap. 4. §. 5.* perspiciendum est. Ut quoque æqualitas dignitatis eo magis servaretur, serio interdictum erat apud Romanos, ne ingenuus libertinam, aut libertinus ingenuam duceret, quæ nuptiæ etiam apud Romanos non pro justis habebantur, nec nuptiæ, sed contubernia modo vocabantur, quod declarat S. C. quo Hispaniæ libertinæ permissum est, ut enubere. (i. e. ab ingenuo duci) posset, neque ei, qui eam duxisset, id fraudi esset. Postea vero etiam lex *Papia Poppæa* (imperante Augusto) permittebat, ut omnibus ingenuis, præter senatores eorumque liberos uxores libertinas habere liceret. Alia adhuc æqualitas dignitatis erat, quod mulier fieret particeps sacrorum *Heinec. bist. Jur. Rom. L. I. pag. 148.* & hoc quidem fiebat per confarreationem, qua uxor cum marito omnium tam bonorum quam sacrorum particeps fiebat, id quod *Dionys. Hal. II.* demonstrat, & *Modestinus L. I. D. de ritu nupt.* Licet vero hac confarreatione uxor in viri potestatem veniret, & sui juris esse desineret, & sic dignitate inferior videretur marito, uti ex *Hein. antiqu. jur. Rom. L. I. pag. 151. 52. 53.* patet, alia tamen dignitas ipsi accedebat, quod vocabatur uxor materfamilias, ut maritus paterfamilias, totumque in rem domesticam habebat dominium. Multa alia adhuc exempla legesque allegare possem, nisi timerem, ne hoc argumentum modicum quoddam opus conficeret, & ita TIBI multisque molestus essem. Attamen ex his paucis jam perspicimus,

cimus, quantam curam salutis felicitatisque conjugum ac concordiae gesserint Romani. Et hinc etiam illi laude sua non sunt defraudandi, quod omni studio curaque impedire annisi sint, ne discordia, nec quadam alia re turbetur conjugum tranquillitas. Ex his itaque facile mihi quisque concedet, tale connubium, ubi tam interna animorum, quam externa & ætatis & dignitatis observatur æqualitas, perfectissimum ac felicissimum esse, quia nempe tales conjuges perpetua felicitate ac fortuna uti possunt, nullaque dissensio eorum turbat tranquillitatem.

Quæ gaudii igitur est causa, quo hodierno connubio & ego & omnes boni afficiuntur? Num delectamur externa specie, aut splendore, an voluptatibus, quæ nuptias hilares reddere solent? Minime, sed æquale perfectissimumque connubium VESTRVM, longam perpetuamque felicitatem, fortunam tranquillitatemque promittens, cor meum gaudio implet. Omnibus enim cum regulis perfectissimi connubii VESTRVM convenire, nemo, justus rerum æstimator, facile negabit. Pares enim virtutes bonique mores animos vestros occuparunt, pares estis ætate, quæ utriusque florentissima est, pares estis dignitate, dum tam SPONSA TVA, SPONSE DOCTISSIME HONORATISSIMEQVE, ex stirpe, quæ veram pietatem maximum sibi ducit ornamentum, orta, quam TV etiam ipse verbi divini minister, munerique verbi Dei optimi maximique deditus, quod etiam novum perpetuæ tranquillitatis VESTRAE est argumentum, dum plerumque omnes virtutes a talibus expectantur, & apud illos reperiuntur, quorum est, aliis antecedere bonis exemplis, & tam verbo quam exemplo alios docere. Hinc non dubium est; quin VOS FELICISSIMI VESTRA tranquillitate animorumque consensu omnibus exemplo futuri sitis. Sit ergo felix, fausta, fortunataque deductio SPONSAE TVAE domum, omnibus tam externis quam internis ornata virtutibus, quæ se TIBI totam tradit, priusquam limina
TVA

AK
117
1108
X 337 3242
TVA transit. Et si qua mihi daretur facultas, hilari animo ex
ritu antiquo VOBIS tæda prælucere ad ædes Vestras. Age,
ergo, & da lubenti animo, SPONSE DILECTISSIME, UXO-
RI TVAE claves ædium, cistarum, & scriniorum, ut potesta-
tem suam uxoriæ felicissime auspiciari possit. Non enim est,
quod dubites, quin omnibus rebus TVIS domesticis omni cura
sapientiaque præfutura sit. Res enim domestica PATRIS
DILECTISSIMI SPONSÆ TVAE SOCERIQUE TVI,
ex præmaturo heu! matris indulgentissimæ omnique jure valde
deplorandæ obitu, ab illa semper bene administrata, dexterita-
tis curæque in fungendo ea, NVPTAE TVAE est testis. Faxit
itaque DEVS OPTIMVS MAXIMVS, ut connubium ho-
rum æqualium semper faustum, felix, beatum, perfectissimum-
que sit. Summum Numen omnia, quæ VOBIS profunt, re-
busque Vestris sunt usui, præstet. Largiatur VOBIS valetu-
dinem inconcussam, vitam longævam, omniaque, quæ ad fortu-
nam felicitatemque pertinent. Omnia mala, omniaque, quæ
Vestram turbare possint quietem, a VOBIS avertat, & cæptis
VESTRIS semper & ubique gratia sua adspiret, ut & amor
Vester rebus maxime secundis semper augeatur, VOSQUE,
multos per annos Vestri amoris novis fruamini fructibus. Hæc
est summa meorum votorum. Deus annuat.

HORAT: Lib. I. od. 13.

*Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Dirulsus queremoniis
Suprema citius solvet amor die.*





B.I.G.

Farbkarte #13

II f
1108

DE
EQVALIVM PERFECTISSIMO
OMNIVM

IN
VPTIIS
LAENDERO-
TONIANIS

AVSTO OMINE
OCTOBRIS MDCCLVIII.
MMATSCHII

CELEBRATIS
QVAEVIS APPRECANIS
PAVCIS AGEBAT
NSAE PATRVELIS
OLVS GODOFREDVS OTTO
L. L. Stud.

DRESDAE
NNIS GVILIELMI HARPETERI.

92

